ut calamitatis modum ex amicorum tenero metiaris affectu, omittam rectius utramque, et quo te amore prosequor silebo, nec addendum sit, quantâ commiseratione prosecutus sim. Itaque ἐν τὰ ὀπίσω amice μὴ βλέπωμεν. Porrò Quirites; et quod instar agemus. Valetudinem cura diligenter, diligentius autem non potes, quam si τῶν πάλαι, ἢ πρὸ ὀλίγου studeas ita non reminisci, ut ne fuisse quidem videantur. te verò nasci existimes, quoties de lectulo assurgis confirmatior, et ad libellos recenti impetu animum appellis. quod ut parcè tamen factites, monendum duco. diligentiam illam, ad quam te voco in desidiâ colloco, et hoc te intendere animum jubeo, ut remittas. De negotio quod commendas, me quod attinet, securus esto. quidquid ejusmodi rerum posthac occurret Barlaei imaginem obviam Hugenio dabit. Et recepit Ploosius indicaturum si quid Ultrajecti vacabit. Ubi contigerit, a benevolentiâ Principis nihil non expecta. Vale Amice dignissime, et rescribendi molestiam, nisi cum allubescet, subire noli. Hagae 15 Cal. Aprilis CIƆIƆCXXXII.

Vossio. Amplissime Domine.

(152).

Nulla me Barlaei scriptio delectavit aequè ac postrema ista, quam procurasti. Adeo quasi postliminio redditum amicum avidâ aure oculique excepi. Fateor verò, si quae praeivere nesciam, vacillantis animi indicia in stilo neutiquam apparere. Barlaei sunt, quascumque periodos examino, disertae sunt, judiciosae sunt; denique à phreneseos lapsu tam remotae, ut insanire sic expetiat qui hodie Romani eloquii, et aurium vestrarum duri carnifices, sapere nos putamus quam maximè et praeclarè desipimus, cum vernaculi sermonis ferociter contemptores, obtrudere Vossiis ac Barlaeis non erubescimus, quae cum patienter admittunt, nae illi πρὸς τὴν ἀπάθειαν perquam Stoicè se componunt. In Barlaei literis

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 49v-50r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/670

literis, quod dicebam. nihil desidero, nisi quod breviores dat, non suo more: sed et languorem animi excusat, et uberiores propediem pollicetur. Esto quidem; sed qui ad manum amici estis, quaeso, et hunc animi impetum regite, si praematuris est. Remittenda vis ingenii est, qua ab intentione nimia dubites an non illud passa sit, quo nunc aegre defungitur. Sed quid ego imprudenter prudentes moneo? Ad beneficiorum causam quam commendas, ipsi rescribo, polliceorque adfuturum sedulo omni occasioni, quam sors dextera obviam datura est. Idem se facturos Wylius, Ploosius aliique receperunt. Vale Vir Doctissime et me ama. Hagae Com. 15 Cal. Aprilis 1632

De oratione quam misisti gratiam sic habeo,
ut vel dubitare te nolim, temperasse se
Hugenium ab his ferculis, quamdiu Vossio
in mentem, ultimus convivia venerit.
Pridem ἐν τελφῇ ista me voluto. et
reperti sunt communes amici, qui an me amares nescii
quantopere te admirer ac tua, scire se, recentissimis
exemplaribus testati sunt. Quâ porro in saecula iturus sis,
quâ tibi superstes, quâ posteritati interfuturus, cognoscere
valde cupio. Originum libros, de quibus summam
eruditi spem fecerunt, ego et majorem alo, differs jam
nimium diu. prodeant, amice, prodeant, et si quid
ejusmodi publicae utilitati, ut soles omnia, destinasti,
μὴ κρύνης. Quousque et tibi et nobis invidebis?
tibi maximam laudem, nobis voluptatem? Sic
te C. Plinii ad Octavium verbis alloquor, et valere
aeternum jubeo.

Hectori Bouritio.

Amplissime Bouriti. (154)

Non adeo de Vincenii amoribus sollicitus ~~sum~~ quam de tuo sum. Illi enim duo κρονίζει, hic intepescere videtur. Solve rogo, me propediem tam justo metu, et si quoi in pretio nihi sis, ignoras hactenus, ex eo disce, quod earum quae vel amicus promisisti, vel probasti, lector impatientissimam moram fero. Vale Vir Doctissime et me ama Hagae Com. XV. Cal. Aprilis CIƆIƆCXXXII.

Non nuper tuus
C. H.

Adde Tragoediam Heinsianam, cujus aeternitati
quantum nomini ~~tu~~ meo benigne tribuit, inique detraxit.
Hanc si dudum legeris, vander Burghio, qui illustrissimo Comiti vestro
a secretis est, ex fideicommisso tradi postulo, sin autem tuam esse.

Bouritio

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 49v-50r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/670